

De *Nephromate expallido* Nyl. Scr. W. Nylander.

Nihil suo modo solennius quam verba auctorum praesertim qui affirmationibus potius quam observationibus excellunt.

Tale (inter alia) exemplum conspicuum (titillatione cognita et audacia juvantibus) offert D. Th. Fries in Flora 1861, p. 43, de meo *Nephromate expallido* scribens: „judicium certum de hac planta jam afferre audeo, differentiam ejus specificam omnino denegans. Est enim forma“ — *Nephromii laevigati* (Ach.). Credere potueram judicium illud scriptoris Upsaliensis intercedente examine accuratiore, postea (etiamsi „indignatione“, secundum vocabulum ipsius) mutatum fuisse, sed nuperrime in Flora hujus anni errorem eundem singularem redire video, atque contenditur ibi adhuc *Nephroma expallidum* identicum esse cum *N. helvetico* Ach., quod correctione necessaria opus habet.

Jam in scriptis meis animadverti, *N. expallidum* respectu anatomico thalli omnino et absolute differre a *Nephromiis*; habent scilicet *Nephromata* stratum gonidiale e veris gonidiis formatum, contra *Nephromia* sistunt stratum granulis gonimis compositum. Quae differentia texturae internae etiam extus ita est manifesta, ut jam e longinquo haec genera discernuntur colore, quem inde statu humido vegeto obtinet thallus; laete enim virescit *Nephroma*, fuscescit *Nephromium*. Differt simili modo *Peltidea aphthosa* a *Peltigeris*. Ita facillima est distinctio atque microscopio quidem minutissima quavis particula thallina mox visibilis et semper indubia. Talia vero Upsaliae parum curari videntur. Res superflua saltem ibi videatur demonstrare, quomodo *Nephroma expallidum* transiret in *Nephromium laevigatum*, vel explicare, qua metamorphosi mirabili gonidia vera transmutarentur in granula gonima aut granula goma in gonidia. Hocce autem non explicabitur; satis est judicium suum „certum“ offerre et sententiam qualemcunque affirmatione nuda arbitraria superstruere! Neque hodie mirari licet, si non desunt qui talia fiducia sane theologica amplectantur.

Manet autem et manebit perennis differentia, quam indicavi et quae distinctionem non solum specierum sed generum absolute determinat.

Restat vero etiam in hoc capite alia affirmatio Friesiana similiter delenda, quæ vellet ut *N. helveticum* Ach. identicum sit cum *N. expallido*. Adhuc error evidentissimus! Observetur enim, *Nephroma expallidum* nunquam inventum fuisse in Helvetia, igi-

tur nomen „helveticum“ ei aegre dari potuisse; at accedit alia ratio aequae fatalis, scilicet in herbario Achariano nomine *N. helveticum* asservari idem *Nephromium* ex „Helvetia“, quod (cum ceteris auctoribus plurimis) pro Achariano in Synopsi Lichenum I, p. 319, et semper exposui.

Itaque duplex error Friesianus hic castigandus erat, nam 1^o *Nephromium laevigatum* (Ach.) numquam transit in *Nephroma expallidum* haud amplius quam rana transit in testudinem, nec 2^o magis verum est *N. helveticum* Ach. synonymon esse *Nephromatis expallidi*.

Cur sic imprudentissime D. Fries in errores tales cadit nimis manifestos et facillime evitandos?

De genere Lichenum *Melanotheca* notula. Scripsit W. Nylander

Melanotheca, genus a cl. Fée propositum atque deinde in mea Expositione Pyrenocarpeorum tractatum (pp. 69—71), praesertim apotheciis compositis (peritheciis pluribus confluentibus in apothecium collectivum) differt a *Verrucariis*.

Notare hic liceat. nomen „*Melanothecam Acharianam*“ Fée Ess. Suppl. p. 71 species 2 vel forte quidem plures referre. Etiam *Trypethelium anomalum* Ach. Syn. p. 105 similiter 2 species respiciat. Examinaui quidem *Tr. anomalum* Ach. archetypum ex India occidentali et definivi in Pyrenoc. p. 70, sed hicce lichen satius cum *Trypetheliis* veris convenit quam cum *Melanothecis*, quare enim ad *Trypethelia* reducere praestet.

Sunt hodie mihi cognitae species *Melanothecae* verae sequentes:

1. *M. crotonicola* Nyl. — Amer. aequinoct.
2. *M. Brasiliensis* Nyl. — Brasilia.
3. *M. arthonioides* Nyl. — Eur. merid.
4. *M. arthoniella* Nyl. — Brasilia.
5. *M. gelatinosa* (Chev.). — Europa media.
6. *M. superveniens* Nyl. — Gallia occid.
7. *M. acervulans* Nyl. — Gallia media.
8. *M. aciculifera* Nyl. — Amer. aequinoct.
9. *M. simplicella* Nyl. — Gallia occid.

Omnes corticolae sunt, excepto unica *M. acervulante*, quae est saxicola (calcicola).

tur nomen „helveticum“ ei aegre dari potuisse; at accedit alia ratio aequae fatalis, scilicet in herbario Achariano nomine *N. helveticum* asservari idem *Nephromium* ex „Helvetia“, quod (cum ceteris auctoribus plurimis) pro Achariano in Synopsi Lichenum I, p. 319, et semper exposui.

Itaque duplex error Friesianus hic castigandus erat, nam 1^o *Nephromium laevigatum* (Ach.) numquam transit in *Nephroma expallidum* haud amplius quam rana transit in testudinem, nec 2^o magis verum est *N. helveticum* Ach. synonymon esse *Nephromatis expallidi*.

Cur sic imprudentissime D. Fries in errores tales cadit nimis manifestos et facillime evitandos?

De genere Lichenum *Melanotheca* notula. Scripsit W. Nylander

Melanotheca, genus a cl. Fée propositum atque deinde in mea Expositione Pyrenocarpeorum tractatum (pp. 69—71), praesertim apotheciis compositis (peritheciis pluribus confluentibus in apothecium collectivum) differt a *Verrucariis*.

Notare hic liceat. nomen „*Melanothecam Acharianam*“ Fée Ess. Suppl. p. 71 species 2 vel forte quidem plures referre. Etiam *Trypethelium anomalum* Ach. Syn. p. 105 similiter 2 species respiciat. Examinaui quidem *Tr. anomalum* Ach. archetypum ex India occidentali et definivi in Pyrenoc. p. 70, sed hicce lichen satius cum *Trypetheliis* veris convenit quam cum *Melanothecis*, quare enim ad *Trypethelia* reducere praestet.

Sunt hodie mihi cognitae species *Melanothecae* verae sequentes:

1. *M. crotonicola* Nyl. — Amer. aequinoct.
2. *M. Brasiliensis* Nyl. — Brasilia.
3. *M. arthonioides* Nyl. — Eur. merid.
4. *M. arthoniella* Nyl. — Brasilia.
5. *M. gelatinosa* (Chev.). — Europa media.
6. *M. superveniens* Nyl. — Gallia occid.
7. *M. acervulans* Nyl. — Gallia media.
8. *M. aciculifera* Nyl. — Amer. aequinoct.
9. *M. simplicella* Nyl. — Gallia occid.

Omnes corticolae sunt, excepto unica *M. acervulante*, quae est saxicola (calcicola).

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1865

Band/Volume: [48](#)

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: [De Nephromate expallido Nyl 428-429](#)